



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XXXI. An, & quid veniat nomine Monasterij Monialium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

Ratio est, quia licet Tridentinum *loc. cit.* verbis prohibeat ingredi personas cuiuscumque ætatis, eius tamen mens est comprehendere tantum eos, qui vsum rationis habent; siquidem eius prohibitionis finis est, ne Moniales perturbentur, & ad peccatum excitentur, quod non contingit ex solo ingressu, vel admissione infantium; & sic ex communi docet Nauar. *cap. 28. addit. 2. ad num. 143. & comment. 4. num. 56. Henric. lib. 4. de pœnit. cap. 5. num. 2. & lib. 13. de excommunicatione. cap. 42. n. 3. Suar. de Relig. tom. 2. lib. 6. cap. 16. num. 4. Miranda tom. 2. quest. 2. art. 1. com. 1. Riccius in prax. decis. 648. Barbosa de offi. & potest. Episcop. alleg. 102. num. 32. Bonac. de claus. q. 4. punct. 1. num. 5. Granad. in 2. 2. S. Thom. contr. 7. tract. 3. part. 1. disp. 6. sect. 5. Ioan. de la Cruz de statu Relig. lib. 1. cap. 5. dub. 2. concl. 3. Hieronym. Rodriguez in Compend. q. 9. Regular. resol. 26. n. 7. Mollata tom. 1. disp. 1. diff. 7. num. 408. Diana part. 3. tract. 2. resol. 57. Rodrig. in exposit. Motus Pij V. & q. 9. R. gul. tom. 1. q. 46. art. 1. Sorb. part. 2. verb. ingressus in Monasteria Monial. num. 2. Zerola part. 1. verb. Moniales, ad 8. quest. Llamas in append. §. 8. Layman lib. 4. tract. 5. cap. 12. n. 2. Naldus verb. clausura, num. 4. Lezana eod. verb. num. 23. & Azor. tom. 1. lib. 13. cap. 8. quest. 5. quidquid dubitare videantur Paulus Fusch. de utilitate, & regim. Eccles. lib. 2. cap. 19. n. 25. Vgolinus de potest. Eccles. cap. 21. §. 3. num. 3. & Corduba in sum. q. 60. in fin. edit. 2. propter S. Congregationis declarationes, quas refert Lezana tom. 2. cap. 25. n. 24. Comitulus in R. spons. Moral. lib. 6. q. 19. Gauantus in Monial. Epist. verb. Monialium clausura, n. 31. & Scortia in select. Constit. Theorem. 336. Nam declarationes istæ reuera intelliguntur solum de pueris constitutis in ea ætate, vt possint Monialibus occasionem peccandi præbere.*

5 Cæterum in dubio, an infans vsum rationis adeptus sit, & sic comprehendatur hac prohibitione? Respondetur, si septennis sit, præsumitur adeptus esse, & sic comprehenditur hac prohibitionem, atque adeo ingrediendo peccare, & excommunicationem incurrere, si ignorantia non excusetur; secus si septennis non sit, quia cum vsum rationis communiter, completo septennio, adueniat (vt communiter notant Doctores apud Cordubam q. 69. ad fin. & Bonac. de matrim. q. 1. punct. 4. n. 3.)

6 in dubio ante talem ætatem non præsumitur. Quod intelligas non solum de infante masculino, sed etiam de infante foemella; quidquid dicant aliqui sentientes, in foemella vsum rationis postponi per annum, & sic ei licere ingressum vsque ad octauum annum inclusiue: alij verò teneant vsum rationis in foemella præuenire per annum, & sic ei licere ingressum solum vsque ad sextum annum similiter inclusiue; nam dicta hæc nulli solidæ rationi fundantur.

7 Petes tertio: An includantur amentes?

Respondetur, quod (licet nonnulli, vt videre est est apud Azor. cit. cap. 8. q. 5. sentiant, includi amentes, si lucida interualla habeant, quia tunc peccare, & censuras contrahere possunt; secus si perpetuò amentes sint, quia tunc idem iuris de ipsis est, ac de infantibus, cum vtrique nec peccare, nec censuras contrahere possint: nihilominus dicendum sit, etiam perpetuò amentes includi, si pubertatem consecuti sint, non quidem vt ipsi peccent, & excommunicationem contrahant (cum tales peccati, & excommunicationis, ob defectum vsum rationis, incapaces sint) sed admittentes, & quicumque talis ingressus causa sunt, vt potest prohibitioni huic contrahentes. Ratio est, quia talium, licet perpetuò amentium, ingressu Moniales conturbantur, & ad peccatum excitari possunt. Nauar. comment. 3. n. 155. Rodriguez, Llamas, & Zerola loc. supra cit. Suarez de Relig. lib. 1. cap. 10. num. 5. Miranda in tract. de Monialib. q. 2. art. 1. on. l. 1. ad fin. Barbosa de offi. & potest. Episc. alleg. 102. num. 32. Bonac. de claus. quest. 4. punct. 1.

Thom. Delbene de Immunit. Eccles. Pars 11.

num. 17. Tamburin. de iure Abbat. disput. 22. quest. 5. Lezana verb. clausura, num. 23. & tom. 1. cap. 15. num. 24.

Petes quartò, an includantur Moniales licitè à suo Monasterio egressæ?

Respondetur negatiue, itavt liberum sit Abbatissæ, istas absque alia Superioris licentia admittere, quia cum sit valde decens honestati Monialis egressæ, eam admitti, non videtur, mentem Pontificis fuisse, eam etiam ab ingressu, vel admissione ad clausuram excludere; præsertim si Monialis sit eiusdem ordinis, & habitus, ac sunt Moniales Monasterij, quod ingreditur, quia tunc tali Monasterio non censetur extranea: quod tamen intellige, si ex causa ingreditur, vt si iter agens eò accedat in hospitium admittenda, & maxime si ibi in alia domo commodè pernoctare non possit; secus si ingreditur ex pura recreatione, vel causa inuiscendæ amicæ, aut consanguineæ, & maxime si sit diuersi Ordinis, & habitus, cum eas possit per cratès inuiscere, & alloqui. Vide Llamas in append. §. 11. in fin. & alios, quos citat Bonacina de clausura, q. 4. punct. 1. num. 3. quamvis ipse nostram sententiam non sequatur quoad Monialem diuersi Ordinis, & habitus; ex eo quod talis censetur extranea Monasterio: sed quod dixi, est etiam probabile, cum ad oppositam istam rationem facile pateat responsio ex dictis.

DVBITATIO XXXI.

An, & quid veniat nomine Monasterij Monialium?

SUMMARIUM.

- 1 Nominè Monasterij Monialium venit spatium illud, quod intra Monasterij ianuam semper clausam continetur, modo clausuræ deputatum sit.
- 2 Recipiens se intra Monasterij ianuam, quæ semper claudi solet etiam ad vnum, vel duos pedes, incurrat secundum probabiliorè opinionem pœnas latas contra violatores clausuræ.
- 3 Item recipiens se intra viridarium, vel vineam, vel chorum; secus si se sistat in ianua ex parte exteriori, quæ sæcularibus patet.
- 4 Spatium nondum clausuræ deputatum non venit nomine Monasterij.

Respondetur, venire spatium illud, quod intra Monasterij ianuam semper clausam continetur, modo clausuræ deputatum sit. Vnde Monasterium ingredi dicitur, & consequenter pœnas ingredientium Monialium Monasteria contrahit, qui se recipit intra Monasterij ianuam, quæ semper claudi solet, etiam si fortè ad vnum, vel duos pedes intra illam se recipiat, iuxta communiorè, & probabilem opinionem, vt infra dub. 53. dicam. Item qui se recipit intra viridarium, vel vineam Monialium septam, & intra clausuræ limites contentam, vel intra chorum Monialium; secus si se sistat in ianua ex parte exteriori, quæ sæcularibus patet, & ad quam Monialis seipsam sine clausuræ violatione recipere non potest: quapropter sine clausuræ violatione potest persona sæcularis, & Monialis simul esse in ianua illius limine, si scilicet à parte exteriori sit sæcularis, ab interiori autem sit Monialis; quia in tali casu neutra persona suos limites transgreditur, cum pars exterior sit extra clausuram, interior autem intra illam. Vide Rodrig. tom. 1. q. 46. art. 1. Suar. tom. 4. de relig. cap. 10. n. 6.

V 2 Dixi

4 Dixi, modò clausura deputatum sit, quia si spatium illud nondum clausuræ deputatum, & additum est, non venit nomine Monasterij, itavt ingressus ad illud interdictus sit, uti accidit, dum Nondum subiectum est; sic declaravit S. Cardinalium Congregatio 1584. teste Coriolano *part. 2. casu 3. q. 2. num. 29.* & Sorbo *verb. Ingre- di, n. 11.*

DVBITATIO XXXII.

An, & quis possit concedere licentiam ingre-
diendi Monasteria Monialium?

S V M M A R I V M.

- 1 Episcopus concedere potest licentiam ingrediendi clau-
suram Monasterij sibi subiecti auctoritate etiam
delegata: idem etiam potest superior Regularis in
Monasterio sibi subiecto.
- 2 Eius est licentiam concedere, cuius est clausuram Mo-
nialium indicare.
- 3 Cui ligandi facultas competit, soluendi etiam facul-
tas competere consuevit.
- 4 Res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur.
- 5 Superior ille est, qui Monasterio præest.
- 6 Episcopus non potest concedere licentiam ingrediendi
clausuram Monasterij subiecti Regularibus.
- 7 Episcopus ubi est introducta consuetudo, potest dare
licentiam ingrediendi clausuram Monasterij sub-
iecti Regularibus, & etiam licentiam eorum regi-
strare, seu approbare; secus tamen est præcisa
consuetudine.
- 8 Declarationes Sacra Congregationis circa hoc recen-
sentur, & conciliantur.

1 **R**esponderetur, quod (quamvis aliqui probabili-
ter teneant, posse solum Episcopum, etiam
quando Monasterium non est ipsi, sed Regularibus
subiectum, ex Tridentino *sess. 25. de Regular. c. 5.* ubi
Concilium disunctivè loquitur, asserens eam licen-
tiam ab Episcopo, vel Superiore concedendam esse;
ita Zecchius de *Republ. Ecclesiastica, tit. de Regular. c. 2.*
n. 15. ubi ait sic declarasse S. Cardinalium Congrega-
tionem; & Zerola *verb. Moniales, ad 8. quasit. vers. 4. ad*
fin. ubi dicit sic se vidisse Neapoli observari; nihilo-
minus probabile etiam sit, dictam licentiam conce-
dere posse Episcopum auctoritate ordinum (quando
Monasterium est sibi subiectum) auctoritate delegata
(quando est subiectum immediatè Sedi Apostolicæ)
Prælatum verò Regularem concedere posse, quando
2 Monasterium est subiectum Regularibus. Ratio est,
quia eius est licentiam concedere, cuius est clausuram
Monialibus indicare, ut rectè dixit Monachus in *cap.*
periculoso, de statu Regular. in 6. num. 1. & 2. Franch. ibid.
num. 5. Dominicus *n. 10.* Bonacina de *clausura, quasit. 4.*
punct. 2. Lezana *verb. clausura, num. 24. & tom. 1. cap. 25.*
num. 25. Et ratio est, quia cui ligandi facultas compe-
3 tit, soluendi etiam facultas competere consuevit, iux-
ta illud: *Res per quas causas nascitur, per easdem dis-*
solvitur. At Episcopi est in priori duplici Monasterio
tantum clausuram indicare, & egressus licentiam in
casibus necessariis concedere; Superioris Regularis
autem in posteriori Monasterio, sicut ex probabili
sententia *suprà dub. 6. & 7.* dicebam: ergo idem dicen-
4 dum in casu nostro de concedenda ista licentia ad in-
gressum.

Confirmatur, quia sic habetur ex *cit. cap. periculoso*,
quod per Tridentinum *eod. cap. 5.* non corrigitur, sed

innouatur, & confirmatur, ibi: *De illius, ad quem*
pertinuerit, licentia, ubi Archidiaconus *num. 2.* Ioan. Andr.
num. 2. Anchar. *num. 3.* & alij passim explicant, Supe-
riorem hunc esse, qui Monasterio præest: at Episco-
pus solum præest potestate ordinaria Monasteriis sibi
subiectis, & potestate delegata subiectis immediatè
Sedi Apostolicæ, iuxta Tridentinum *cit. sess. 25. de Re-*
gularib. cap. 9. & nullo pacto præest Monasteriis, quæ
6 subduntur Regularibus: ergo solum in iis prioribus,
non autem in istis posterioribus Monasteriis concede-
re potest ingressus licentiam, atque ita tenent Nauar.
cap. 28. addit. 2. ad num. 143. cap. 25. & comment. 4. n. 60.
de Regularib. subdens, sic declaratum esse à Pio V.
Azor. tom. 1. lib. 13. cap. 8. quasit. 7. Graff. *1. part. decis. lib. 4.*
cap. 23. num. 6. Llamas in *append. §. 5. Confectus in*
privileg. Mendicant. tit. 20. cap. 6. Lezana *tom. 1. cap. 25.*
n. 25. & tom. 2. cap. 1. n. 22. & verb. clausura, n. 24. Suarez
de Relig. lib. 1. cap. 10. num. 11. Miranda de *Monialib. q. 2.*
art. 2. concl. 1. Barbosa *3. part. alleg. 102. num. 40.* Bonac. de
clausura, quasit. 4. punct. 2. n. 3. & Rodrig. *tom. 1. qq. Regul.*
quasit. 46. art. 2.

Confirmatur secundò, quia licet nonnullæ Cardi-
nalia Declarationes (quas refert Lezana *cit. verb.*
clausura, num. 24. & Suar. *tom. 4. de Religion. tract. 8.*
lib. 1. cap. 10. num. 15. in his verbis: *Vbi post Tridentinum*
fuerit consuetudo introducta, ut Episcopus dei hanc li-
centiam in Monasteriis Regularibus subiectis, observanda
est: ubi autem fuerit consuetudo introducta, ut Episcopus
habeat superintendentiam aliquam super concessione ta-
lium licentiarum, verbi gratia, quod debeant apud ipsum
registrari, observanda similiter est, quamvis Episcopus
non possit tunc licentiam improbare) velint standum esse
consuetudini, tamen præcisa saltem consuetudine,
apud Tamburinum de *inve. Abbat. disp. 23. quasit. 1.* &
Lezanam loco *suprà cit.* sacra eorundem Cardinalium
Congregatio in aliis declarationibus decrevit, licentias
ingrediendi intra septa Monialium ex vera tantum neces-
sitate concedere quoad Monasteria Regularibus subiecta
spectare tantum ad ipsum Superiorem Regularem, qui
Superior Regularis quandoque est generalis, quando-
que est Provincialis, vel ipsorum Vicarius, quando-
que est Prælati Conventualis, iuxta statuta, vel mo-
rem Religionum, & Monasteriorum ipsarum Monia-
lium; siquidem licentiam ingressus hanc concedere est
illius, cuius est clausuram Monialibus indicare, quod
ad dictos Prælatos spectare solet, sicut *dub. 6.* dicebam.
Quapropter

Ad opposita, & primò ad id, quod assertur ex Tri-
dentino, quod loquatur disunctivè. Responderetur,
Concilium disunctivè loqui, ut denotet, licentiam
Episcopi necessariam esse, & sufficere respectu Mona-
steriorum prioris generis; licentiam autem Superioris
Regularis similiter necessariam esse, & sufficere respectu
Monasteriorum posterioris generis. Et ad id, quod
subditur de quibusdam aliis Cardinalium declarationi-
bus in oppositum, responderetur iuxta dicta, illas ad
summum intelligi, ubi sic est consuetudo loci intro-
ducta; præsertim quia sic concordantur inter se præ-
dictæ declarationes, alioquin sibi contrariæ, & quia
Romæ huiusmodi licentia non conceditur à Prælati
Religionum, sed à Prælato ad curam Monialium spe-
cialiter per Summum Pontificem deputato.

Cæterum, an possit etiam concedere licentiam ad
ingressum Capitulum Sede vacante, Vicarius Episcopi,
vel Vicarius Capituli Sede vacante, vel cuiuscumque
alterius iurisdictionem quasi Episcopalem habentis?
dic vt dicebam *suprà dub. 8.*